BRUNO DE SEGNI, UNVOLLSTäNDIG. DISPOSITIO CATHOLICAE FIDEI, UNVOLLSTäNDIG
Enstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh. Seite 29v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35457
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



alios obtinent principatum Manasses
uero interpretatur obliuio per quem
nimirum illi significant qui sancti spiritus
calice inebriati terrenorum omnium obliui
scuntur et sola celestia concupiscunt
Tales erant illi de quibus in actibus apostolorum
dicitur quia omnibus erat cor unum
et anima una et nemo dicebat aliquid
esse suum sed erant illis omnia communia
Inter hos autem monachi quoque et heremi
te conuiuantur At vero per effraim
qui frugifer dicitur omnes illos intel
ligere debemus qui boni operis fructum
domino reddunt In hiis autem et clerici et
laici et masculi et feminae et diuites
et pauperes et liberi et serui et omnes
alii qui otiosi non sunt sed in vinea dei
fideliter laborant intelliguntur
Quod autem ait Fortitudo capitis mei
tale est ac si diceret Ad hanc autem signifi
cationem et boues nostros fortitudinem
nostram dicere solemus Juda rex meus
Juda confessio interpretatur Isti autem
sunt qui pro aliis pugnant et deum as
sidue laudant et benedicunt et inter ipsa
tormenta dominum suum et creatorem
suum xpm confitentur esse Et ta
les quidem sunt qui reges a domino
constituantur Moab olla spei mee
Bene post confessionem ollam posuit
quia sola confessio sanctorum carnibus
ollam implebat et eos ad ignem
et ad alia tormenta ducebat Per
ollam enim hoc in loco omnia genera tor
mentorum significantur Interpretatur
autem moab ex patre per quem illos intel
ligimus quibus in euangelio dominus ait
Vos ex patre dyabolo estis Isti ergo
sunt quos prius sibi ipsi deinde fideli
bus suis ollam se dominus habere sperab
at Sperabat quidem quia libenter sua
sponte sustinuit passionem In ydu
meam extendam calciamentum meum
i. calciatos meos per quos apostolos sig

nificat qui sicut scriptum est calciati
erant in preparatione euangelii pa
cis Hos autem extendit dominus et misit
in ydumeam que sanguinea interpretatur
quod quid significat manifestissimum est.
Michi allophili subditi sunt Per
alophilos qui sine capite interpreta
tur vniuersaliter omnes infideles et qui
cumque dei cognitionem non habent intelligere
debemus Quomodo enim caput habebant
qui ceci et surdi aures et oculos non
habebant Si enim oculos habuissent
nequaquam ligna et lapides deos esse
dixissent Isti tamen apostolica predicatione
saluatori nostro conuincti sunt quia de
talibus ecclesie muri fabricati sunt Illi
enim sunt isti lapides impolliti et incir
cumcisi quos ferrum non tetigit quia
de talibus altare sibi dominus fieri iussit
Hucusque dominus locutus est Hinc autem
ecclesia sue narrationis ordinem seruat
Quis deducet me in ciuitatem mu
nitam aut quis deducet inquit me in
ciuitatem munitam i. in celestem ierusalem
vbi neque ollas moab de quibus modo
locutus neque sanctorum sanguine cruen
tatos ydumeorum gladios timeant.
Aut si pedes meos extendere vis quis
erit qui me deducat et in tenebris viam
ostendat et euntem et redeuntem
custodiat Nonne tu deus qui repu
listi nos et destruxisti nos iratus es
et misertus es nobis Et non egre
dieris deus in virtutibus nostris Egre
dieris utique quia sic promisisti nobis
et sic te facturum esse speramus hoc est
enim quod dominus in euangelio ait Qui credit in
me opera que ego facio et ipse faciet
et maiora horum faciet quia ego ad patrem
uado Itemque Signa autem eos qui in
me crediderint hec sequentur In nomine
meo demonia eicient linguis loquen
tur nouis serpentes tollent super e
gros manus imponent et bene habebunt